

DISSERTATIO VIII.
DE
LEGATO LIBERATIONIS
AB INDEBITO.

CONTENTA:

Ufus juris Romani in causis publicis.
Casus presens recensetur §. 1. Legati definitio §. 2. Legati conditio; differentia inter legatorium partiarium & heredem §. 3. differentia inter heredem & legatarium §. 4. varii casus debiti legati §. 5. Primus casus ex §. 14. antiqua Inst. §. 6. Secundus & tertius §. 7. Quartus quintus, sextus, septimus & nonus §. 8. Octavus & decimus §. 9. De reliquis speciebus, quæ legatum liberationis constituunt §. 10. Diversa liberationis legatæ conditio & divisio, effectus §. 11. Respon-

sio ad questionem præsentem §. 12. Dissensus Pauli & Ulpiani §. 13. defectu objecti evanescere legatum §. 14. Indoles legati liberationis prohibet petitionem quantitatis ex massa §. 15. favor heredis non admittit petitionem §. 16. Responsio ad antiqua §. 17. 18. Fabri sententia excutitur §. 19. Huberi sententia §. 20. vera interpretatio antiqua §. 21. si cui legetur, quod ipse heredi debet, atque is nihil debeat §. 22. Objectiones diluuntur §. 23. 24. Corollaria.

I.

Quoties Jurisprudenciam nostram paulo penitius intueor, mirari subit, qui fastidire multi jus Civile in Controversiis Principum Imperii & alto supercilio despiciere non dubitent, neque sentiant, supremorum Imperii Judiciorum formulam, & Recessus Imperii plures, maxime recentiores, quam longe a vero abeat hæc opinio, ostendere. Sed & multa offerri rerum gestarum exempla, quæ, ubi disceptationi subjiciuntur, non nisi ex legibus Civilibus decidi possunt. Atque eo freerri meretur facti species a Magnif. Dn. Præside nobiscum communicata, quæ nuper in plura Collegia Juridica, ut solide discuteretur, transmissa fuit: Virgo quædam Princeps Serenissima sponso Principi viginti millia uncialium dotem attulerat, sibi quæ dotalitium in Saxoniam consuetum, quadruplices quotannis usuras continens stipula-